

COMMENTATIO EXEGETICA
DE
ACHASO
NON TAM
HYPOCRITAE,
QVAM
PERFRICTAE FRONTIS
HOMINE.

AD
ILLVSTRANDVM LOCVM
I E S. VII, 12.

PROPOSITA

A
WILHELMO CHRISTIANO IVSTO
CHRYSANDRO,

PHILOSOPHIAE AC LIBERALIVM ARTIVM MAGISTRO,
COLLABORATORE IN PASTORATV PRIMARIO
AD AEDEM CATHEDRALEM S. STEPHANI
APVD HELMSTADIENSES.



FRANCOFVRTI ET LIPSIAE

MDCCXXXVIII.

a. XX. 23.

31
Coll. diss. A
20, 23

f



52. 1. 7. 18

18

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO
VIRO,
EXCELLENTISSIMO DOMINO
AVGVSTO ADOLPHO
LIBERO BARONI
DE CRAMM,

SERENISSIMI CELSISSIMIQUE DVCIS BRVNSVICEN-
SIVM ET LVNEBVRGENSIVM MINISTRO
STATVS ET AB INTERIORIBVS
CONSILIIS,

COLLEGII, QVOD PRINCIPATVM BLANKENBVRGENSEM
PRO DVCE REGIT ET ADMINISTRAT,
PRAESIDI,

REI MILITARIS SVPREMO CVRATORI,
DVCATVS BRVNSVICENSIS CONSILIARIO PROVINCIALI,
ORDINIS EQVESTRIS HILDESIENSIS AD EPISCOPATVS
COMITIA DELEGATO,

EXEMTAE ET IMMEDIATAE BASILICAE S. SIMONIS ET
IVDAE IN VRBE GOSLARIA ET COLLEGII CANO-
NICORVM EI ADIVNCTI DECANO,

COLLEGII ITEM LIBERI NOBILIVM VIRGINVM DEO DICA-
TARVM, QVOD STETERBVRGI FLORET,
PRAEPOSITO,

EQVITI ORDINIS CAESAREI RVTHENICI, AB ALEXANDRO
NEWSKY NVNCVPATI,

DYNASTAE HAEREDITARIO CLIENTELARVM

VOLKERSHEIM, OELPER, IERZE, BOKENEM,

RELIQVA,

DOMINO ET MAECENATI LITTERARVM

INDVLGENTISSIMO

HANC

DISQVIVISIONEM EXEGETICAM,

IN PVBLICVM SVBMISSAE VENERATIONIS

TESTIMONIUM,

DECENTISSIME CONSECRAT

WILHELMVS CHRISTIANVS IVSTVS

CHRYSANDER.



Textus Jes. VII, 12.

לֹא אֶשְׂאָל וְלֹא אֶחְשֹׁב אֶת יְהוָה

§. I.

Non vnus interpres, sed agmen commentatorum, *Receptis-* ipse etiam CAMPEGIVS VITRINGA in *elastica in-* boratissimo, quo Iesaiana vaticinia illustravit, *terpre-* opere * existimant, SIMVLATORI oblatum *tatio.* esse miraculum illud, cuius Iesaias capite VII, commate II. dedit optionem; Achaso eidem, tamquam SIMVLATORI, reuera etiam maximi illius prodigii, quod v. 14. legimus, fidem factam esse. Arbitrantur nempe, verba Achasi versu 12. sic vertenda esse: Non postulabo (signum); NE tentem Dominum. Eundem sensum progignere in lectorum animis voluit Lutherus hac sua versione: Ich wills nicht fordern / daß ich den HErrn nicht versuche. E commentariis exegeticis haec expositio in plurima sic dicta *Post-Illa* decurrit; saepissimeque in orationibus pro concione sacra habitis ACHAS ceu *hypocrita*, & abominabilis hypocriseos exemplum adducitur.

* Tom. I. pagina 181. eum vocat *simulatorem*; pag. 179. b) *hypocritam*. Ibidem sub finem ei tribuit *hypocrisin*. Quo plus fautorum, sibi collegit immortale illud Vitringianum opus, eo maiorem idem trahit, etiam quò hunc versiculum, sequacium numerum. Taceo aliorum verba. Vnum IOHANNEM GEORGIVM STARKIVM audiamus. Sic ille in *Synopsi Bibliothecae Exegeticae in Vet. Testam.* Tomo V. (Leipz. 1747.) pag. 155. refert

refert ad Ies. VII, 12. Ich wills nicht fodern, es sey ferne von mir, daß ich den Worten der Verheißung nicht glauben, und an seiner Allmacht zweifeln solte; vielmehr nehme ich die Verheißung an, und glaube, daß er sie erfüllen könne und werde, ohne daß ich ein Wunderwerk darüber verlangen solte, ich bins nicht wehrt, muß auch nicht zu viel begehren, daß ich den Herrn nicht versuche. Daß ich deinem Raht also nicht folge, komt nicht aus Geringsachtung Gottes oder Verachtung deiner selbst her, sondern daß ich mich scheue an Gott zu versündigen, und sein Verboht 5. Mos. 6, 16. strafbarlich zu übertreten.

** E. C. IRIOH. FRID. BURGII Geist und Leben aus den epistolischnen *Lectionen* pag. 524. 525. legitur: Ahas verstellte sich in eine sehr schöne Gestalt, und will Gott gleichsam nicht Mühe machen, er will sich so viel nicht vor Gott anmassen, nach Art der Heuchler.

§. II.

*Scopus au-
toris.*

Accuratori autem iudicii trutina singulas voces Hebraicas in nexu, accentus, o praeclaros hodegos! & parallelismum expendenti, haud obscurum erit, praestabiliorem utique esse eam expositionem, quae Achasum pro MEXENTIO quodam maxime proteruo habet. Turgebat rex ira, nuntium Dei falso rancore irridebat; immo vero parum aberat, quin vel conuitiis IEHOVAM lace-raret praecipitantia eius. Vellem, ut Achasus non tam malus fuisset. Sed describendus est talis, qualis deprehenditur. Ostendam igitur in hoc parergo, ACHASVM NON SIMVLASSE MODESTIAM ET ERGA DEVM REVERENTIAM, SED ABIECISSE tunc, quum viscera misericordiae diuinae, ad ipsi benefaciendum, quam maxime commouerentur.

§. III.

*Occupatio
obiectionis,
a superuacua-
neo desumptae.*

Erunt forte, quibus videbitur minoris momenti esse haec disputatio. Perinde esse, dixerint, num irrifor, an hypocrita fuerit ACHASVS? Sufficere, quod sciamus, eum peccatorem fuisse, & oblatum veracitatis diuinae documentum reprobasse. Verum enim vero ii, quibus do, vtrum-

utrumque, tam hypocrisin quam proteruiam, grauissimum peccatum, ac difficile dictu esse, utrum maius sit, hi, spero, & mihi largientur: *quo accuratior est scripturae sacrae interpretatio, eo magis tempestiuam & meliorem dari eius applicationem.* Alia profluent *consecraria*, si promissio illa excellentissima, de *IMMANVELE* ex virgine nascituro, data est homini, Deum insolenter repudiandi, alia sunt *consecraria*, si ea facta esset homini, qui prae se tulisset voluntatem peccata fugiendi. Videbimus sub finem vnam atque alteram grauissimam veritatem, quae ex eo, quod hermeneutice certum fecero, elici possit. Hae veritates faciunt, ut minime conuictus sim, otio meo & lectorum me abuti, quando *imaginem ACHAZI*, viri istius, cui diuina bonitas geminum signum exhibuit, intencioni cura considerauero.

§. III.

Vt cognoscamus, qualem se Achafus gesserit, quum supremum Numen suas ei polliceretur suppetias, praecipua cura nostra sit de ea Achasi responsione recte intelligenda, quam Iesaias, signum offerenti, dedit. Habetur haec *Es. VII, 12.* post alloquium Iesaias *10. 11.* ויוסף יהוה דבר אל אחז לאמר: שאל לך אות מעם יהוה אלהיך העמק שאלה או הגבה למעלה: ויאמר אחז לא שאל ולא אנסה את יהוה Princeps quaestio est, num vltima verba vertenda sint: *Non postulabo ET NON assumam cum Domino*, an sic: *Non postulabo; NE tentem Dominum.* Vel luscus viderit, hanc quaestionem in duos ramos dispefci. Inquiramus 1) num ו in phrasi וְלֹא אֲנִסָּה אֶת יְהוָה sit *copulans, synonyma connectens?* AN *finale**, *consecutiuum*, *scopum indicans?* 2) Num verba וְלֹא אֲנִסָּה אֶת יְהוָה reddenda ita sint: *non assumam seu, non tol- lam, cum Jehoua.*

Cardo rei consistit in versione vltimi hemistichii, vers. 12.

Si posterior versio admittitur, in qua ו finaliter & causaliter sumitur, habendus est *ACHAS* pro *hypocrita*, seu

homine, qui melior videri voluit, quam fuit, pro homine, qui, veris causis occultatis, praetexuit reuerentiam erga DEVM, qui se venditavit pro viro plane confidente perfectionibus diuinis, nec signi ad fidem excitandam confirmandamque indigo, pro viro valde cauto, ne DEVM peccato laederet. Si autem prior versio, vbi ¶ est copulatiuum textui primigenio magis conformis est: prodidisse videtur Achas animum ferocem, ac pro aperte immorigero habendus sit.

Tertia quaedam via haud datur. Nam quo minus credamus, istam responsionem לֹא אֶשְׂאָל נְאֻם יְהוָה ex mente pia, Iehovae deditissima, ne postulante quidem signum praeter effatum diuinum, profectam esse, obstat acris castigatio, qua propheta hanc responsionem v. 13 excepit, sed non excepisset tam calide, nisi ea pravi animi index fuisset. E duabus propositionibus disiunctiuis completis & se excludentibus vna vera sit necesse est (per Logicam). Quare simul atque vterutra illarum oppositarum versionum seu propositionum collapsa fuerit, altera hoc lapsu stabilietur.

§. V.

Transla-
tionum
prisca-
rum col-
latio,

Videamus, num antiquarum & cognatarum versionum subsidium iuuare nos possit, vt in significatum vocabulorum Hebraicorum, quem vsus olim tulit, & qui nexui accommodatissimus est, incidamus.

Versio Arabica, siue ab *Jbn Sina* siue *Saadia* facta, habet

وَقَالَ أَحَاثَرُ لَا أَسْأَلُ وَلَا أَجُوبُ الرَّبَّ Wakal achas

la afalo, vela agaube arab. Et dixit Achas, non postulabo ET NON EXAUDIAM (ET ACCEPTAM HABEBO) PRECATIONEM DOMINI. Adhibet Arabs loco Hebraicae vocis אִנְטָה quam vulgo reddunt tentare, verbum hamzatum אִינְטָה

جَاب quod idem frequentissime occurrit vt concauum Vau,

جُوب cuius media radicalis quiescens est. Hoc autem significat: Responsum dedit, & acceptam habuit exaudiuitque PRECA-

TIONEM. Habemus inde nomen أَحُوبٌ agaubo, precatio,

quae

quae penetrat, magisue exauditur. Confer Linguae Arabicae apud Cantabrigienſes Profeſſoris conſummatiſſimi EDMUNDI CASTELLI *Lexicon Heptaglotton* (Londini 1669.) pag. 506. Apparet ex iſta verſione, ex mente interpretis Arabici, 1) ACHASVM verba Ieſaiae nomine Dei annuntiata: *pete tibi ſignum* &c. accepiffe pro PRECATIONE Iehouae; 2) Achazum fuiſſe non tam hypocritam, quam *perfrictae frontis hominem*, qui Iehouae precanti planiſſima inhumanitate repulſam dat, NON te exaudiam.

Targum IONATHANIS, Chaldaei Paraphraſtae, ſic profert
 וְאִשְׁרָף נְבִיאַת דְּיִי לְמַלְלָא עִם אַחַז לְאִמְרָא שְׂאֵל לְךָ
 אֲתָא מִן קֳדָם יְיָ אֱלֹהֵךְ שְׂאֵל דִּי יִתְעַבְדְּ לְךָ נִס עַל אֲרֻעָא
 אִזְ תִּתְחַזִּי לְךָ אֵת בְּשִׁמְיָא: וְאִמְרָא אַחַז לֹא אֲשֵׁאֵל וְלֹא
 אֲנִסִּי קֳדָם יְיָ. Et addidit propheta Domini loqui cum Achas,
 dicens: *pete tibi ſignum a facie Domini Dei tui: pete, vt fiat tibi
 miraculum ſuper terram, vt videatur TIBI ſignum in caelis.*
 Et dixit: *Non petam, ET NON tentabo in conſpectu Domini.*
 Si is accepiffet illud *controuerſum pro finali*, magis per-
 ſpicue dicturus fuiſſet *ל* seu *כְּדִי ל* seu *כְּדִי ש* seu
שְׂאֵל seu *מִצַּר שְׂאֵל* seu *כְּדִי ל* seu *כְּדִי ש*. Nec tamen negari poteſt *ל* apud Chal-
 daeos etiam vt ſignificare. e. c. Dan. II, 13. וְדָתָא נְפִיקַת
 וְדָתָא נְפִיקַת *decretum exiit, vt ſapientes interfe-*
cti eſſent.

De Verſione Syriaca idem iudicandum eſt. Notat Syris *o*
 non ſolum *coniunctiue*, ſed etiam *finaliter*. *ו* illis ſaepe idem
 eſt, quod *ל* ne, *ל* Sic ea tranſtulit: *ו*
 Et dixit *o chos, non petam, ET*
NON explorationem faciam Domino Deo meo. Adhibet Syrus
 eadem, quae in textu Hebraico ſunt, *verba*. Hoc autem eſt
 memorabile, quod dictionem *א* Deum meum addiderit,
 quum tamen in textu ſacro nec *Deus* nec *Deus meus* exſtet.
 Fateor, ſi Hebraicus textus Achazi reſponſionem ſic exhiberet:
ne tentem Dominum DEVM MEVM, maxime naturalem
 expoſitionem eo valituram fuiſſe, quod Achazus *hypocrita*
 fuerit. Sed *manifestum aſſumentum*, non *verſio*, eſt.

Verſio-

Versionem Teutonico-Iudaicam, באמשטירן anno
 תרמ"ט hoc est 439. לפ"ק Liphrat Katon, secundum numerum
 paruum, omisissis annis millenis, h. e. a. 1679. aerae christianae
 impressam, ob defectum typorum Iudaico-Germanicorum, ex-
 hibebimus Germanicis typis. Heiß an ein Zeichen von GOTT
 deinem Gott. Begehr etwas (ein Zeichen) von der Tiefeniß, o-
 der (heiß etwas) oben von der Hech: v. 12. Da sprach Ahas: ich
 will niß an heißen: und ich will Gott nit versuchen. Vide-
 mus, ergo, a Judaeis recentioribus, heic audiendis testibus, illud
 ו, de quo dispicimus, pro *copulatio* habitum esse.

Versio diuersorum Judaeorum Alexandrinorum, quae ex
 fabula ARISTEAE *Septuaginta-viralis* audit, itidem ו pro
copulatio habet: Καὶ ἔπεν Ἀχάζ, ὃν μὴ ἀτίσω. ὍΥΔΕ ΜΗ παραύσω
 Κύριον. Manuscripta alia habent ו' & μὴ. Vide Biblia polyglot-
 ta pag. 20. (Londini 1656. ex officina Thomae Roycroft.)

§. VI.

*Occasio-
 nalis.*

Quam longe absum ab iis, qui nimium extollunt ver-
 siones textus originalis, easque (discrepantes saepius &
 errantes) quasi dominos & iudices faciunt inspirati verbi
 diuini, tam longo etiam disiungor interuallo ab iis, qui
 eas plane spernendas esse arbitrantur. Dant profecto inter-
 dum occasionem vltius de verbis sacris meditandi, & a-
 nimum ad meliora flectendi. Id vero, quod suppeditant,
 ad fontem authenticum exigendum est. In hoc examine,
 ad lapidem Lydium inspirati contextus instituto, depre-
 hendemus saepe, istam versionem momentum assecutam
 bene esse. Ac ne quid diffitear, sic in loco, quem heic tra-
 cto, Jesaiano, mihi iam contigit. Versio Arabica ea est,
 quae mihi occasionem praebuit, hunc locum quò *accentus*
 & reliqua curatius contemplandi. Quo facto visum mihi
 est, ac videtur, Arabem acu rem tetigisse, dum pro con-
 temtore DEI feroce ACHAZVM habet.

Adscribendus igitur sit hic locus Jes. VII, 12. iis exemplis,
 quae ANDREAS REINBECK in libro *de accentibus Hebraeo-
 rum* collegit, (Brunsvigae 1692.) cuius caput nonum agit *de*
usu accentuum in conferendis versionibus. pag. 311-488.

§. VII.

Perperam in phrasi **לֹא אֲשַׁאֵל וְלֹא אֶנְסֶה אֶת יְהוָה**, *h.l. non haberi τὸ γ̄ pro causali, ac proinde verba ACHASI temere sic transferrri: non postulabo; NE tentem Jehovam, hoc grauiſſimum demonstrat argumentum: Quod Accentuum Nam ex-Hebraicorum sequela huic conuerſioni contraria est. Niſistere de- mirum ſi verba וְגַוְּ אֶנְסֶה וְלֹא אֲשַׁאֵל continerent aliquid, ab eo, beret in quod verba לֹא אֲשַׁאֵל edicunt, diuerſum, ſeu ſi fiſte- accentus לֹא אֲשַׁאֵל, ſi cauſſam inter- DOMINVS. miſſae petitionis ſigni retegerent, (ceu innuit iam iam adducta verſio): Deberet nobilior quidam accentus, ſi non ipſe Athnach Imperator, certe Regum, vel Ducum, vel Comitum quiſpiam in voce אֲשַׁאֵל poſitus eſſe. Sic argu- mentor:*

*Quotiescumque γ̄ eſt CAUſſALIS particula, ſeu ubi- cumque γ̄ eo fine vT ſignificat: ibi propoſitio, quae illud γ̄ ἀμείσως praecedit, per ACCENTVM DISTINCTIVVM ab ea propoſitione, quam γ̄ illud incipit, diſiuncta eſt. **

Atqui hoc loco Ef. VII, 12. propoſitio iſta, quae γ̄ prae- cedit, nempe לֹא אֲשַׁאֵל, a ſequenti per nullum accentum di- gnioſem ſeparata eſt (Eſt enim ſeruus Merca in אֲשַׁאֵל) Ergo hoc loco γ̄ in וְלֹא non eſt CAUſſALE.

* MAIORIS veritatem, videlicet quod τ̄י̄ γ̄ finali anteire ſoleat aliquis accentus ſeparatim, inſpectio exemplorum in tuto collocabit. Non grauabor quaedam lectoris beneuoli oculis ſubiicere. Gen. III, 8. וַיְהִי בַהֲיוֹתָם בְּשֵׂרָה וַיִּקַּם
Et accidit in eſſe eos in agro, vT ſurgeret. Conſpicias vocem בְּשֵׂרָה a ſequenti, quae γ̄ cauſſale ſibi conglutinatum habet, ſecretam per Sakeph Katon. Joſ. VIII, 31.

Exod. V. 1. שְׁלַח אֶת עַמִּי וַיִּחַגּוּ לִי בַמְדְּבָר mitte populum meum, vT feſtum agant mihi in deſerto. Ecce heic vocem עַמִּי, quae γ̄ finale antecedit, ſeparatam praefentia Sakeph Katon regis!

B

Exod.

Exod. VII, 26. **שלח את עמי ויעבדני** *mitte populum meum, vt mihi seruiant.* En! ea, quae γ caussale praecedunt, per regem Tiphcha segregata ab ea voce, cui $\tau\delta$ γ praefixum est.

1. Sam. XX, 16. **ויהנתן עם בית דוד ובקש יהוה מיד איבי דוד** *Et pepigit Jonathan cum familia Davidis (foedus), vt requireret Jeboua de manu inimicorum Davidis.*

2. Chron. XXVIII, 23. **ויעבדני** *iis immolabo, vt auxilientur.* Praeambulatur Tiphcha.

Pf. XVIII, 39. Exstat ante γ finale seu consecutiuum, vbi vt notat, dux Tiphcha anterior, propositiones diuellens XXIV, 7. *Atnach* rex metricus. XXVIII, 1. Tiphcha anterior. XXXV, 24. *Rbhia gereschatus* XXXVI, 8. imperator ille *Merca Mapachatus*. LI, 9. *Vicarius* ducis Tiphchae, Munach., in voce secunda laborante: Pron. XXX, 3. *Atnach*.

Thren. I, 19. **כי בקשו אכל למו וישיבו את נפשו** *Quaerunt escam, vt reficiant animam suam.* Cernimus γ in voce **למו** propositionem terminante, *Sakeph Katon*.

Thren. III, 26. **טוב ויחיל ורומם** *Bonum est, vt exspectet, fitque silens.* Secluditur vox **ויחיל** per *Itibh* in voce **טוב**, qui est loco *Paschtae* ducis, tamquam *Maioris*, quippe praecessit *Minor* Paschta.

Jon. I, 6. **לנו ולא נאכר** ... nobis, vt *NE pereamus.* Ecce Tiphcham, qui distinet praecedentia a γ caussali.

Jon. I, II. **מה נעשה לך וישתק** *quid faciemus tibi, vt conticescat mare?* Semotum heic est **וישתק** per *Sakeph Katon*.

Irritum effugium esset, dicere, BREVITATEM VERSVS nostri effecisse, vt accentus distinctiuus in voce **אשר** omittetur. Nam breuitas haud abigit quosuis accentus distinctiuos. Vide e. g. commata sex vocum Gen. XIII, 13. Deut. I, 32. Cant. I, 2. IV, 7. Nec in nostro versu abegit. Inuenimus in eo *Atnachum* & *Tiphcham*. Quam facile vnus horum potuisset in **אשר** poni! Sed non ibi ponitur; vt sciremus, *Achasi* dictionem **ולא** minime reddi debere *NE, NAM non tentabo.* §. VIII.

§. VIII.

Maiori iure verba Achasi **לֹא אֶשְׂאֵל וְלֹא אֶנְסֶה אֶת** *Sed illud*
יְהוָה hoc modo conuerti: *non postulabo, NEC... confici-* *est copu-*
 tur hoc argumento: *Quia minimus accentus Coniuncti-* *latium;*
uus, Merca nempe, voci אֶשְׂאֵל adhaeret, indicans, hanc *quia ser-*
 vocem cum sequenti **וְלֹא** esse copulandam. Indicio, in- *uus MER-*
 quam, is est, filum enuntiationis etiam ultra vocem *CA in præ-*
אֶשְׂאֵל continuari, atque in hemistichio **וְלֹא אֶנְסֶה אֶת** *cedente*
יְהוָה eandem sententiam proponi, quae phrasi priori *voce est.*
אֶשְׂאֵל לֹא significata erat, seu declarationem eiusdem *Id indicat*
 propositionis, generalius expressae, per *ισοδυναμικὴν* seu *1) Syno-*
nyma
ep-exegeticam phrasin, heic occurrere; minime autem
 consilii (*non postulabo*) scopum & causam edici.

§. IX.

Quum igitur verba **לֹא אֶשְׂאֵל וְלֹא אֶנְסֶה** prorsus *2) Ach-*
 nullo accentu *distinctiuo* a se inuicem separentur: sed *sum cele-*
 arctissimo vinculo *coniunctiuo* contineantur: quid est ex *riter ex*
 hac iunctura clarius, quam hoc, *uno eodemque spiritu,* *vehemen-*
sine pausa, celeriori pronuntiatione, coniunctim haec ver- *tia haec*
 ba protulisse **ACHAZVM**? Si vero tam celeriter haec ebulliuit: *verba pro-*
 quid propius ad veritatem accedit, quam hoc, *Achasi* animum *nuntiasse.*
 flammis irae esserbuisse? Haec vehementia etiam ex repetitione rei
 eiusdem seu adiecto synonymo apparuerit.

Abeant ergo, qui vel hunc locum caussantur, probaturi,
 accentus Hebraeorum dictamen Logicum haud sequi. Sic enim
 statuebant ex errore praconcepto, quasi **וְלֹא אֶנְסֶה** *VT NON*
tentem, reddendum esset. Ac verum utique est, si *h. l. fina-*
liter positum esset, minus congruere seruum *Merca* in voce
 antecedente **אֶשְׂאֵל**. Sed ecce! quaeso! saluam rem. Ecce
 heic potius confirmationem vsus accentuum *hermeneutici*, &
 specimen, quod accentus, *quo magis implicare videntur, eo*
magis explicent. Insolitus enim positus eorum indigitat insoli-
 tan

tam animi commotionem Achazi, ac nos a deuiis ad alium tramitem manuducit, vnde penetralia Achazi, veraque eius in verbis illis sensa patefcunt. Porrige herbam CHRYSOSTOMO, in homilia XXI in Genesin dicenti: in sacris litteris ne vel vnā quidem syllabam vel apiculum esse, in cuius profundo non sit grandis quispiam thesaurus. Et HIERONYMO in Matth. V, Etiam, quae minima putantur in lege, sacramentis spiritualibus plena esse. Sed fieri plerumque solet, vt incognita causa damnentur accentus, ab iis puta, qui ad haec certa fidera nautae exegetici parum, vel obiter tantum, attenderunt.

§. X.

Haec vehementia, festinanter inuectiua, non sapit hypocrisin.

Satis profecimus accentuum ministerio, dum ex Merca, accelerationis indice, concitatiores eloquendi modum, quo ACHASVS vsus est, collegimus. Est enim elocutio interpretationis optimus vigor. Est imago occultae voluntatis. Exprimit soni temperamentum internam orationis virtutem. Explicat affectuum arcana. Satis profecimus, ex accentuum ferie, dum affectum Athnachi exinde coniecimus. Atqui hic multum confert ad genuinum de penitioris orationis vi iudicium formandum. Jam enim ACHAZVM ante tuos oculos tibi fistas! Ipse eum audita talem, qualem accentuatio eum describit, nempe audito eloquio Fodre nur // // // // celerrimo orationis cursu haec verba recitantem: Ich will keine Foderung machen, und wils nicht versuchen mit dem Jehova! Num putare pergeres, ACHAZVM hypocritam egisse? Nonne mecum crederes potius, eum, indignatione plenum, aperto Marte quasi, JEHOVAE insultasse, ac manifesto eum reiecisse? Habent affectus candorem quendam, & loquuntur veritatem. Vnde herzlich (cor est sedes affectuum) idem saepe est, quod aufrichtig. Marc. 12, 30. In hypocrisi autem est fictio. Hypocrisis igitur in affectu Achasi vix locum habet.

§. XI.

לֹא תִנְסוּ
vertitur: non suscipiam cum Jehova.

Accedo ad alteram quaestionem (§. 4.). Fatendum est, verba ACHASI לֹא תִנְסוּ אֶת יְהוָה habere similitudinem cum prohibitione diuina Deut. VI, 10. לֹא תִנְסוּ אֶת יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם כַּאֲשֶׁר נִסִּיתֶם בְּמִצְרָיִם ne tentetis Essen-

Essentiatorem Deum vestrum, quemadmodum tentastis in Massab.

Haec similitudo, quae multorum oculos praestringit, me quoque, nisi obstarent splendidiora, facile induceret, ut crederem, ACHASVM ad illud eloquium diuinum respexisse, & illis verbis hoc innuisse, *abhorreo transgressionem legis illius diuinae! Haec religio, ne eius reus euadam, haec sola me impedit, quo minus signum oblatum eligam.* Quemadmodum vero e sola phrasium similitudine duorum auctorum non sequitur, vnum ad alterius verba oculos retorsisse, praesertim si phrasis eiusmodi est, quae synonymis aliis, ob linguarum paupertatem, aegre efferretur, (& harum non paucae sunt), si necessitate quadam omnes ad eius vnicae vsum adigerentur; Sicuti, inquam, non consequitur, Petrum allusisse ad istas Polybii aliorumque auctorum phrasas, quia verbum quoddam cum nomine constructum, quod Petrus adhibet, etiam in POLYBIO exstat: Sic h. l. non nulla se interponunt obstacula, quae isti coniecturae *de Allusione Achazi ad Deut. VI, 16. facta*, locum vix permiserint. Illa me eo diuertere videntur, ut statuam, omnino meliorem esse illam versionem, *non exaltabo, non eleuabo IEHOVAM*, quam HIERONYMVS, immerito, ex mea sententia, a VITRINGA castigatus, dedit. q. d. Ich will den Jehoua (den unveränderlichen wesentlichen Herrn und Wesen-Schöpfer /) nicht wägen / ich will es nicht mit ihm aufnehmen / keinen Versuch mit ihm machen / nichts mit ihm anfangen.

§. XII.

Quem penes arbitrium est & ius & norma loquendi, POTEST vsus ita fert, ut הָרַם proprie NOTET ELEVARE, TOLLERE, sic reddi. SVSCIPERE, Pf. III, 17. Job. III, 2. Haec significatio est *formalis*, e qua ceterae fluunt. In Piel הָרַם , manu rem

eleuare, eo fine, vt pondus rei diuines, seu explores vires Gen. XXII, 1. I. Sam. XVII, 31. Hinc יהוה את נסה duo indicare potest pro ἀναλογίας & περικειμένων ratione. 1) *initium commercii cum Deo facere*, sicuti is, qui manu rem tollit, incipit cum ea connecti. 2) *actione quadam attributa & gradus virtutis eius retegere studere*. Priorem significatum vtique etiam in sacris veteris instrumenti pandectis frequentem esse, exemplorum filua roborare possem. Sed, vt breuior sim, ablegatos velim lectores ad CAROLVM LVDOV. HOHEISEL in δυσνοήτοις in Jesaia specim. II. qui loca adduxit. Inde igitur patebit, posse verba haec יהוה את נסה לך verti: ET NON SVSCIPIAM, sublationem institutam, CVM Domino. לא non solum notam obiecti accusatiui, sed etiam in ablatiuo accepti esse solere, hoc vel tironibus decantatissimum est.

§. XIII.

DEBET sic ac hemistichium illud, de quo ago, ad hunc sensum reddi, ob dire: Ich will mit dem Jehoua nichts zu thun haben / h. e. Epicuream insaniam spirare, hoc tum argumenta *intrinseca* seu *textualia*, tum *extrinseca* (§. 16.) declarant.

Argumen- I. In textu 1) ACCENTVS sic iubent. Si enim verbis ta יהוה את נסה לך contineretur *allusio ad Deut. VI, 16.* atque adeo aliquid iis propinaretur, ab eo, quod continent verba לך נסה, diuersum, idea valde noua: Nonne debuisset accentus potentior ibi inueniri, vbi vnum effatum finiretur? nonne limes notabilis ponendus fuisset, vbi definit territorium primae propositionis? Observatio illa §. 7. 8. qua docui voculam לא לך haud significare posse NE, intercludit viam huic versioni: *ne tentem Dominum*. Simul igitur ea reprimit opinionem, quod Achausus causam sanctitatis *hypocritice* interseruerit.

§. XIII.

§. XIII.

2) In contextu huius historiae videmus: Achasum ^{2) Omissio} *grauissimam vocem* DEVM MEVM, licet a propheta ipsi ^{alloqui} *amoenissime praelufam, minime tamen repetiisse.* Dicit, ^{charita-} *omisso nomine* אלהי, tantum, *non petam nec suscipi-* ^{tiui DEVS} *am cum* IEHOVA; solum igitur *proprium Dei nomen* ^{MEVS sa-} *frigide attingit* §. 5. Certe, si Achafus voluisset videri cum ^{pit apo-} *Jehoua facere, seu, quod idem est, si hypocritam agere* ^{stasiam.} *voluisset in hac Jesaiae reddita responsione: addidisset hoc speciosissimum additamentum, hoc memoriale commu-*
nis foederis, quod Deus cum Dauide & gente Judaica percusserat, ac tam diu seruauerat. Haec igitur reiectio epitheti, quod appositissimum omnium ad scopum hypo-
criseos ludendae futurum fuisset, indicium quiddam praebet, eum non tam DEVM, praesente populo, demulsiisse, quam
manifesto respuisse, ac prae se tulisse: nolo, vt Jehoua se ^{3) ob} *DEVM MEVM ostendat.* 3) Queritur propheta Ef. VII, 13. ^{למה} *de laesione defatigante & afflictatione. Numquid parum* ^{ob} *vobis, taedio afficere homines?* הלאות. Ergo subsistendum non esse putatis in eo, quod me cum aliis prophetis, quos tamquam mendaces ardeliones contemptui exponitis, abiiciatis, *vt taedio afficiatis* תלאו *etiam Deum meum?* Si neruos incidere nolumus voci ^{למה} *defatigare* Jerem. 12. 5! Ez. XXIV, 12. dicendum est, eam magis quadrare in *manifestam ignominiam, Deo illatam, qua vis misericordiae eius exstinguitur.* 4) Simili contumeliae genere inue- ^{4) ob col-} *ctus esse* ACHAS in Jehouam hoc commate 13. dicitur, ^{lationem} *quo vexati erant prophetae. Atqui prophetae publico* ^{cum} *contemptu afficiebantur ab Achaso. Js Jef. 7. 9. plumbeum* ^{אנשים} *tergum Jesaiae dedit, silens. C. 9, 13. sq. coll. 2. Reg. 9. 11. 2. Par. 25, 16. Accensis lychnis ergo non opus est, vt videamus, minime diffimulata contumacia Achazum Jehouae insultasse. Sic ipse textus facit impietatem Achasi apricam prodit.*

§. XVI.

§. XVI.

b) ob Pro-
pograp-
hiam
ACHAZI.

Argumenta externa desumuntur e testimoniis, quae alibi de ingenio & moribus ACHAZI perhibentur. Si status hominis dominans multum valet ad actiones eius diiudicandas, ad sensum responsionum eius diuinandum: licebit etiam ex habitu Achazi animum eius in verbis, quae tracto, conicere. Ne utar quidem testimonio IOSEPHI, qui *Antiquit. Judaic. libro VIII. capite XIII, p. m. 136. 137.* (Francof. 1588. in 8.) *insanas impietates ACHASO tribuit, & erga Deum impiissimum omnium, & patriarum legum desertorem, insanientem eum vocat.* Nam ipsum codicem sacrum testem dare possum. Nimirum CHARACTER, quem historia biblica ACHASO appingit, magis conuenit cum imagine proterui APOSTATAE, quam flexuosi hypocritae. Commemoratur, Achazum minime celasse suam a Domino apostasiam, sed prae se tulisse, eo

Publici
idolola-
trae.

1) quod altare Jehouae semouit, & Syriacorum destrorum altare Hierosolymis substituit, atque in eo idolis publice sacrificauit. Nam 2. Reg. XVI. 14. 15. sic legimus: *Quod attinet ad altare aeneum a Salomone factum, quod erat coram IEHOVA ante vestibulum domus Domini, id transtulit de facie templi per contemptum - - - & posuit illud e latere altaris Damasceni ad aquilonem, in angulo quodam, quasi precarium, ut idololatricum illud altare templo propinquius esset, quam altare Jehouae. Vers. 17. Et praescidit rex ACHAS clausuras fulcimentorum, & remouit, quod supra eas erat, & conchas, & mare deposuit de boue aeneo, qui sub illo erat, & posuit illud super pavementum stratum lapide, ut ad sacrificia inutile esset. 18. Et operimentum sabbati deiecit, quod aedificauerant, & egressum regis exterius uniuert cum templo Domini, diruto muro, iunxit atrio sacerdotum, propter regem Assyriae, cuius exemplum, ut ei placeret, sequebatur. coll. 2. Reg. XVI, 10-12.*

2) Quod idola Baalitica concinnauit, ac proprium filium Molochi igne lustrauit, si non cremauit. Conferamus, quae traduntur II. Chron. XXVIII, 19. 23. 24. & versu 2. *Et iuit in viis regum Israel, & etiam imagines fusiles fecit Baaliticis numinibus. v. 3. Et ipse suffitum fecit in valle filiorum Hinnom, (h. e. gemiscentium Jer. VII, 31. 32.) & transire fecit filios suos discalceatos per ignem purgatorium; secundum abominabilia gentilium, quos expul-*
rat

rat Jehoua coram filiis Isracl. V, 4. Et immolauit & suffuit in excel-
sis, & super collibus, & sub omni arbore frondosa viridi. Idem nar-
ratur 2. Reg. XVI, 3. Ne obliuiscamur autem addere 1. Chron.
XXVIII, 23. Quaenam vero manifestior impietas excogitari hac
ipsa potest? Qui omni pudore remoto ad imitationem Chananaeo-
rum se contulit, qui non modo tulit superstitiones ab antecessoribus
suis introductas, sed, ipse auctor earum studiosissimus, auxit, & ad-
haesit publice nuncupatiuis diis, vt nemo magis; Nonne is ex pro-
fesso ostendit, se nuntium Jehouae misisse?

Nullius numeri foret obiectione, *Achasum tunc temporis, quum
Jesaias signum offerret, NONDUM eo dementiae devenisse.* Nam di-
citur iam de eo A) 2. Chron. XXVIII, 19. מעור מעל ביהוה
transgrediendo transgressus est (nempe e contemptu & temeritate Jos.
VII, 1.) *contra Jehouam*, vbi tamen sermo est de tempore, quod
in tempus huius colloquii Jesaias cum Achaso incidit. B) Dicitur
2. Chron. XXVIII, 22: Tempore, quum angustia esset ei, ADDI-
DIT praeuaricari contra Dominum. Nonne in voce יוסף, *addidit*,
praestruitur, eum iam antea sic fecisse, vti nunc facere continuabat?
Nuspian testatur historia sacra, Achazum meliorem fuisse olim,
sed plane eum depingit tanquam publicum Jehouae desertorem
corneae fibrae 1. Reg. XVI, 2.

Nec multum lucrabuntur, qui obiectione: *Quia ACHASVS di-
citur timuisse* Jes. VII, 2. ideo probabile esse, *quod is Jehouae fauo-
rem non plane voluerit perdere.* Nam timidissimi hominum, & ho-
rum iudicia & ausus maxime verentes, solent esse in Deum auden-
tissimi. Exemplum exstat Act. V, 2. praeter quotidiana.

Maiorem ergo non facio inuidiam ACHASO, quam historia
sacra facit, cuius exaggerationis quosdam interpretes VITRINGA
postulat. Ipsam enim paginam sacram ACHASVM tanquam pessi-
mum describere, vidimus.

§. XVII.

Haec profopographia ACHASI biblica suadere omni-
no videtur, vt verba eius לֹא אֶשְׂאֵל וְלֹא אֶנְסֶה אֶת יְהוָה
accipiamus vt verba cauillatoris, DEVM reprobantis, ita
quidem circumscribenda: „Non faciam periculum Jeho-
uae seu cum Jehoua, committendo ei exitum huius belli, &
interea

*Proteruiae
thrasoni-
cae ratio.*

C

interea vecorditer quiescendo. Non erit mihi negotium cum Jehoua, non transigam cum eo, non experimentum inibo cum ipso, Ac facile animaduertuntur caussae, quibus seductus est ad tantam audaciam ACHAS. Pertinet eo

AA) MEMORIA DVPLICIS CLADIS. *Alteram* quidem primo regiminis sui anno ab Israelitis acceperat. Ne quid dicam de infelici expeditione bellica sub Jothamo, patre Achasi 2. Reg. XV, 27. 30. *Alteram* acceperat in inuasionem, anno Imperii sui secundo facta Jes. VII, 1. In hac rex Israelis PEKAH haud quidem capere potuit Hierosolymas, eripuit tamen regi Judae Achaso urbem Elatham, ad sinum Arabicum sitam, atque 200000 Judaeos captiuos abduxit 2. Chron. XXVIII, 8. Rex Syriae autem REZIN cum Pekah confociatus 120000 fortes Achazi milites deleuit 2. Chron. XXVIII, 6. 2. Reg. XVI, 5. 6. Quum igitur *tertia* inuasio iam ante fores esset: tum eneruatus, tum mala conscientia languidus timere coepit. Jes. VII, 2. יָנַע לִבּוֹ *commouebat se cor eius metu, sicut trepidant arbores siluae a vento.* Noluit se eidem permittere Jehouae, qui istas superiores clades non auertisset. Immemor, quod Jehoua irato decertasset, somniabat, eum diis Syris infirmiore esse. 2. Chron. XXVIII, 23. Quamobrem contemnebat exhortationem prophetae ad fidem! fidem! (Quae vox *ἰσχυροῦ* credere & in N.T. πιστεύειν inter voces, nostra officia exprimentes, amplissima & longe ἐμφατικωτάτη in vniuersis bibliis sacris est.) *Si non credideritis: profecto non consistetis, non confirmabimini, non firmi manebitis in gradu, inquiebat propheta v. 9.* Sed istius animus haec non curauit. Videbantur ei magnificae prophetae promissiones parum in recessu habere, iisque inniti, esse operam perdere, stolidissime opinabatur.

BB) SPES *tum* in diis eorum populorum, a quibus debellatus erat 2. Chron. XXVIII, 23. Hi si fauerent, putabat, non indigere se, Jehoua, sine quo tamen nemo vel per vnicum momentum existit. *Tum* in auxilio, regis Assyrii, quod muneribus ambibat 2. Chron. XXVIII, 16. 2. Reg. XVI, 8. *tum* in prudentia propria, fortitudine, ac diligentia; e. c. in aquarum ductibus ita diuertendis, vt sola Hierosolymorum vrbe continerentur, hostibus autem obsessores nullus ad aquas aditus esset Jes. VII, 13.

§. XVIII.

§. XVIII.

Quodsi verum est, quod commonstrare studui, & *Pori-*
 quod ipsum a praeclarissimis Theologis, IACOBO ALTIN-*smata.*
 GIO & IOHANNE GEORGIO LEIGHIO, affirmatum
 esse iam deprehendi, ACHASVM non tam speciem pie-
 tatis honesta adhibita excusatione, captasse, quam prae-
 mortui pudoris hominem egisse manifesta Jehouae abne-
 gatione: haec veritas mater non improlis erit. Subiunge-
 re liceat saltem vnum atque alterum, quod oeconomiam
 temporum afficit, corollarium.

I. *Maximae promissiones diuinae*, illae nempe de gene-
 ris humani redemptore, *datae sunt* (non solum afflictissi-
 mis, sed etiam) CORRVTISSIMIS TEMPORIBVS. Illo,
 vt opinor, DEI consilio, vt eo manifestius esset, quanta
sit Redemptoris, lucis in caligine, necessitas. Vel sic, vt phrasi
 Paullina Gal. III, 22. vtar, DEVS συνέκλεισεν homines ὑπὸ ἀ-
 μαρτίαν, coegit, vt se peccatores agnoscerent, ἵνα ἐπαγγελία
 ἐκ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ δοθῆ, gratuito daretur, τοῖς πισεύουσι.

Fuit Achas idololatra, immo totius domus Dauidis & populi maxi-
 ma pars ruerat in pessima. Quonam tempore conditio eccle-
 siae magis deprauata fuit, quam his ipsis ACHASI tem-
 poribus? Nihilominus his ipsis annuntiatur indignissimo regi
 commate 14. promissio de stupendo ac summe venerabili mi-
 raculo in *Virgine, partum editura*, vniuerso humano generi
 salutiferum. Non dilata est publicatio huius promissionis illu-
 strissimae ad tempora pii Hiskiae, filii *Achasi*, hoc patre melioris.

Si respexerimus spatia praeteriti temporis, idem animaduerte-
 mus. Quando datum est e. c. proteuangelium Gen. III, 15. nuntius
 ille primus de (ער) vero homine masculo postero, passiones, qua
 כפץ *calcaneum*, h. e. inferiorem partem sui, qua naturam humanam
 subituri? Nonne tunc statim, quum corruptissima esset rerum faci-
 es, quum ferueret ira Iustissimi, quem protoplasti rebellione, &
 concepto odio erga Deum virulentissimo lacefferant?

Nonne miserrima erant tempora, quum Jeremias vaticinium de creando *NOVO*, de *femina masculum* (Job. 3. v. 2.), quasi gemmam ocellatura amplexandam, (Exod. 28, 12.) *circumdatura* seu gestatura in medio Cap. XXXI, 22. Ephraimitis promulgaret? atque sic locum *conceptionis* Messiae indicaret? Maxima tunc erat prauitas populi Dei. Ita languebant studia pietatis in plurimis, vt ne vllum quidem esset in iis patriam terram reuisendi desiderium. Heus vero, oppositum isti ignauiae extremae, hoc beneficium inauditum! Nolite tardare, inquit Propheta, reditum in ciuitatem sanctam. Nam haud longe abest tempus, quo exhibebitur desiderium illud gentium, *Messias*.

Quo tempore, obsecro, locus *natiuitatis* Messiae praedictus est Hierosolymitanis pariter ac Samaritanis? Nonne eo, quo vtrique aureos vitulos loco veri Numinis adorabant? Hoc ipso nempe summae impietatis articulo; a Micha nimirum, qui Iesaeae coaeuus, Achasi tempore vixit. Mich. V, 2. Pensitemus etiam, quando vaticinia de loco *Passionis* Messiae Zach. XII, 11. atque de loco *Praedicationis* Hag. II, 7. Malach. III, 1. ebucciata sint? Quando maxime furit Satanas, maxime quoque vigilat prouidentia Dei, pastoris optimi Rom. V, 20, vt pusillanimes confirmet.

Non temere e *temporis* rationibus coniectaria deduci, ex eo patet, quod ipse Paulus *περικείμενον temporis*, ceu fontem porismatum, adhibet Rom. IV, 10. II. πῶς ὄν ἐλογίσθη; ἐν περιτομῇ ὄντι, ἢ ἐν ἀκροβυσίᾳ; Ὁὐκ ἐν περιτομῇ, ἀλλ' ἐν ἀκροβυσίᾳ.

II *Etiam* PRAEFRACTIS & respuentibus DEVM *peccatoribus fieri solita est* OBLATIO MESSIAE. Toruis oculis euibrauerat Achafus in Jehouam, iniurio contemptu plenissimam, responsionem. §. II. 17. Repudiabat commercium cum eo. En tamen! cum ἀπισία ita quidem connectitur gratia Jes. VII, 12. 13: Vos, qui creditis, meum auxilium esse ἀδύνατον, vosne habetis pro ἀδυνάτω, vt pariat Virgo e tribu Judae, e stirpe Dauidis,

Virgo manens partum post, in, & ante suum?
Fiet tamen. Et quia fiet, ideo domum Dauidis haud finam extirpari, quantumuis moliantur eius interitum REZIN & PEKAH.

Haec veritas & progignit & confirmat multas alias. Adducam *quadrigam* saltem veritatum, quae confirmationem nanciscuntur, si Achas perfrietae frontis homo fuit:

I. GRA-

1. GRATIA est principium omnis euangelii; ac soli misericordiae diuinae debemus satisfactionem CHRISTI beatam. Si solis piis hominibus promissiones istiusmodi factae essent, videri potuisset aliqua ipsorum dignitate Deus impulsus esse, vt filium suum nobis donaret. Hoc autem, quod impudentissimis & indignissimis hominibus summum beneficium spondet, hoc, inquam, mirum quantum *euehit splendorem liberrimae gratiae*. Quum **ACHASO**, ne affectanti quidem vllam pietatis speciem, sed **publico DEI** hosti oblata sit **IMMANVELIS** promissio: ecce iam magis patet, **DEVM** ex pura pura bonitate, & inmerita *Φιλανθρωπία* Mediatorem hominibus destinasse. Requiritur fides, vt saluemur, verum est! Sed fides non praecedit omnem gratiam. Gratia est, quae eitra hominum meritum instituit hunc ordinem, vt per fidem in **JESVM CHRISTVM** saluemur. Gratia est, quae ipsam fidem operatur.

2. Gratia inuitans est vniuersalis, tum ad omnes, etiam propatulos peccatores, tum ad omne eorum vitae tempus constanter protensa. *Μη ἡ ἀπιστία αὐτῶν (τῶν ἀπίστων) τὴν πίστιν τοῦ Θεοῦ καταργήσῃ; Μη γένοιτο.* Sint mendaces homines. *Est ὁ Θεὸς ἀληθής* Rom. III, 3. 4. Gratia inhabitans quidem subtrahitur induratis, sed non omnis assistens. Ideo etiam in daemonicis, in **MALCHO**, & in aliorum impiorum gratiam miracula facta sunt. Ipfis occisoribus **CHRISTI** merita Messiae primum sunt oblata, & *venia* primum publicata, praecipiente Christo Act. I, 8. *Ἐσεσθέ μοι μάρτυρες ἐν τε Ἰερουσαλὴμ καὶ ἐν πάσῃ τῇ Ἰουδαίᾳ καὶ Συμαρείᾳ, κ.τ.λ.*

3. Doctrina de CHRISTO est optima medicina morborum desperatorum. Pessimis temporibus, peruicacissimis animis nullo alio remedio tam bene subuenitur, quam hac panacea efficacissima, quam ipse **DEVS** prudentissimus solitus est tunc adhibere. **ACHAS** quidem non resipuit. Sed sufficit, quod potuisset doctrina de *Messia* in primis efficax esse ad eum conuertendum. Sufficit, quod ea in aliis huius aevi hominibus fructu non caruit.

Tractata etiam ad confutationem Judaeorum accommodare licet, qui venditant, *impoenitentiam* maiorum & *priscorum regum suorum hucusque impediuisse Messiae aduentum*. Vide eorum verba in **MARTINI RAYMVNDI pugione fidei** Parte II. c. 10. §. 9. & in **JOH. ANDR. EISENMENGERI** *entdecktem Judenthum* Parte II, pag. 670.

4. *Tantum autem abest, ut impenitentia huius illiusue hominis retardare soleat decretum cursum gratiae oecumenicae, ut vel ipsi ACHASO, palam impenitenti ac repugnantissimo regi, eo ipso tempore, quo peruicaciam impiissimam fremens publice declarauerat v. 12, beneficentissima Messiae promissio obtigerit v. 13. 14. Nequaquam a meritis hominum, adeoque nec a poenitentiae vel impenitentiae interuentu, suspenditur filii Dei missio, sed a promissionibus misericordiae diuinae; cui vnicae sit laus & gloria! Pl. LXXX, 6. 7.*

Solent quidem verpi sic contrauenire: Quia ACHAS impiissimus perfrictae frontis homo fuit: ideo comina 14. capituli VII. Ies. agere non posse de MESSIAE aduentu; *In eo enim, cui MESSIAS, maximum illud miraculum, tamquam bonae spei signum, proponatur, requiri probitatem & dignitatem haud exiguam.* Nihil sciunt, quo hoc adstruant, nihil, quo fulgorem solis iustitiae, in malos item ac bonos diffusum, obscurant. Ne tamen ἀσύμβολοι sint, prouocant ad locum Marc. VI, 5. ut nostris armis nos vincant, qui autem ad rhombum non est. *Ibi, inquit, desiderari, ad beneficia luculentiora exhibenda, aliquam hominum DIGNITATEM. Hac deficiente, ne CHRISTVM quidem nostrum miracula facere potuisse. Multo minus Deum impio homini MESSIAM offerre posse.*

Sed o vanum effugium? Non dignitas hominum, sed homines ibi requiruntur. Verba enim καὶ οὐκ ἠδύνατο ἐκεῖ οὐδεμίαν δύναμιν ποιῆσαι coll. Matth. XIII, 58. διὰ τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν ac non poterat ibi vllum miraculum patrare, propter infidelitatem eorum, hoc volunt: Nazareni, praeiudiciis occupati, ac vilipendentes IESVM, intra moenia sua educatum, omiserunt homines aegrotos ad eum deportare.

Occasione igitur destituebatur Christus, minime vero defectus fidei defectum potentiae & voluntatis ipsi affricuit.

F I N I S.

قَعْدَةُ يَسُوعَ الْمَسِيحِ مِمَّا أَرَادَ كَمَا إِخْوَانِي آمِينَ

Coll. diss. A. 20, misc. 23